
Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai.

1. Disputatio de Potentia in rebus.
2. Disp. de Synonymo et Paronymo.
3. Gymnasium Logicum.
4. Tractatus de Pane edit. 1641.
5. Genethlia sive Natalitia ed. 1642.
6. Delineatio Colloquii inter Valerianum Magnum, Capuccinum et Henricum Nicolai.
7. Erklärung der Worte Eccles. IV. 4. secunda editio.
8. Anatome Papismi imprimis Jesuitici.
9. Nathanael Dilger Predigt bey der Leichbegängniss Henrici Nicolai gehalten.

D. O. M. A.

Gymnasii Logici

DIATRIBE XIII.

DE

SYLLOGI-
SMO APODICTICO

Disputationis loco

Ad sententiarum collationem

proposita

in Gymnasio Gedanensi

PRÆSIDE

HENRICO NICOLAI

Phil. Ma. & Professore

Ordinario

Respondentis munus obeunte

JOHANNE LITZCOVIO

Cuslinense Pomerano.

Ad diem 10. Aprilis. S. N.

In Auditorio Philosophico

Horis destinatis.

DANTISCI, Typis GEORGI RHETI,

ANNO CIƆ. IƆC. XXXIV.

AMPLISSIMIS, NOBILIBUS, CONSULTISSIMISq; VIRIS

DN. SALOMONI GIESEN Judiciorum primariæ Civitatis Gedanensis Assessori meritissimo.

Dn. VALENTINO WIEDER/ Patritio Gedanensi conspicuo.

Simul ac

Amplissimo, Florentissimoq; Viro-Juveni

Dn. ADRIANO ENGELCKEN/ Patritio Gedanensi dignissimo

NEC NON

Meritissimis, Integerrimisq; VIRIS

Dn. CASPARO SCHMIDT

Dn. DANIELI HAMEL/ primariæ Civitatis Gedanensis Civibus ac Mercatoribus solertissimis

Illi Benefactori: Huic Hospiti munificentissimo.

Dnnnn. Mæcenatibus, Studiorum meorum Fautoribus & Patronis exoptatissimis

γύμνασμα hoc Philosophicum reverenter atq; officiosè

D. D. C.

Johannes Litzcovius
Respondens.

1.

TEmpla Diis Veterum sacrata, nō modo sublimia struebat superstitiosa antiquitas, & recta; sed & ut orientem solem quàm promptissimè exciperent, nec ullo impedimento occuparentur. Vt ex Plutarcho in Numâ notat Comes l. 1. myth. c. 10. Organa partis tertiæ Logices non aperta solùm, & quàm fieri potest, planissima struit Logicus: sed & ut ad demonstrationem, velut nobilissimum quendam operis Tertij Logici solem Logicum, maximè respectum obtineant. Vnde Philosophus non solum potissima opera Logica ad eam ut præcipuum Syllogismorum direxit: sed & analyticos priores de demonstratione, ut præcipuo objecto, acturos profitetur. l. 1. prior. c. 1. Conf. d. 10. t. 4. Ejus ergò naturam explicatius inter noëmata partis tertiæ elucidare, non injurium fuerit.

2. Pars tertia Logicæ dividitur in formalem & materialem. De formali, quæ tractat Syllogismum in formâ & generalissimâ materiâ spectatum, hactenus: Sequitur materialis, quæ Syllogismum in determinatâ materiâ applicandum spectare debet. Vnde Syllo. materialis est Syllog. determinatæ materiæ Logicæ Logicè applicatus. Materia illa in conditionibus generalibus in universum triplex Logico considerandi modo est, necessaria, probabilis, & Sophistica. Atq; ita & Syllogismus Logicus materialis triplex erit. Necessarius, vel Apodixis & demonstratio: probabilis, vel Syll. Topicus: & fallax s. impositorius, unde Syll: Sophisticus seu Elenchticus. Antequam de syll: necessario in specie agatur, quædam de materiali in genere præcognoscenda sunt.

1. An peculiariter de eo in Logicis agendum? 2. An jure post Syll: formalem tradatur? 3. An sufficienter in 3. species dividatur?

3. Quâ primum: *Negant de eo & specierum ejus varietate in Log. peculiariter agendum Ramei.* Ramus l. 2. Sch. Log. c. 3. & l. 9. c. 2. Dunam. Beurhus. & alij. V. Cl. I. M. l. 2. disc. Ra. q. 2. Dn. Schei. c. 14. d. syl. n. 2. *Quod nullum instrumentum in se unum multiplicetur pro materiarum, cui applicatur, varietate. Et alias Syllog. etiam in Medicum, Theologicum, Juridicum, &c. esset diuidendus. Et Syll. sit necessarius & contingens vel ex propositionibus vel terminis. Hæc esse proximum necessitatis vel contingentiæ subjectum, non Syllogismum. Nam aliàs non inventum iri materiam necessariam, vel contingentem, nisi Syllogisticè dispositam. Quod absurdissimum.* Aristotelici *accuratè discrimen inter materiales Syllog. faciunt: nam finium diversitates instrumentorum diversitatem introducunt. Nam ex fine, cui inserviat, instrumenti vis æstimatur. At fines hic diversissimi.* Apodixeos, *firma & immutabilis rerum scientia:* Topices, *probabilis quæsitorum comprobatio:* Sophistices *distincta fallacium materiarum ostensio & resolutio. E. & instrumenta pro diversis istis finibus in Log. adornata erunt diversissima. At ea sunt Apodictica, Topica & Sophistica. Ergò.* V. plura Cl. I. M. c. l. & C. 4. d. 6. q. 1. Crell. præf. l. 1. pa. pro. Dn. Cor. Mart. d. 2. c. Ram. t. 49. 50. seq:

4. *Ramistarum argumentis facilè satis fit.* 1. Instrumenta *corporea & materialia non multiplicantur semper ad diversitatem materiarũ, sed interdum, sic acus alia sartoris, sutoris, pellionis, &c: benè notionalia, spiritualia & formalia diversis objectis applicanda.* 2. Syll: *ex conditionibus materiæ specialis generalibus in Logicis est dividendus, non specialissi-*

mis,

mis, qualis in Medicum, Theologicum &c. est. 3. Syll. formaliter considerato accidentale est; esse necessarium aut contingentem: applicato jam materiæ, & ut unum quid ex materiâ & formâ factus est, necesse est cum necessarium, contingentem vel fallacem esse. Et ita specialiter Syllogismo materiali illa divisio competit. Et illa in hâc parte Logicè attenditur. Sive aliàs sit in rebus s. terminis. s. propositionibus, hoc hic non curatur. &c. Non satis hic est, habere aliquid necessitatē, sed sciri, eam inesse alicui. Hoc Syllogismo perficitur. Vt benè idem l. 1. dis. c. 2. q. 6.

5. Quà secundum: *Negant recentiores quidam* ap. Conimbr: *post formalem explicandum Syll: materialem.* V. d. 10. t. 5. *isq; assentitur* Dusa l. 4. Log. c. 2. n. 1. *quod materia prior sit formâ: generaliter omni formæ Syll: subjiciatur, facilius cognoscatur quàm forma, & proximè ex naturâ enunciationum fluat. Hæc facilè ex distinctione materiæ generalis solvuntur, qualis termini & propositiones, quibus requisita adducta competunt, & specialis, qualis hic requiritur. Hæc contrà se habet: Posterior, difficilior formâ est: Et ex eo pendet, quod propositiones determinata quædam materia Syllogismi fiant, & sic generales illas conditiones necessarium, probabile admittant: Non quod præcisè enunciationes. Et sic specialiora jure in artibus sequuntur generaliora. At materialis pars speciale quid est, formalis generale.* Conf. Cl. I. M c. l. q. 8.

6. Quà tertium; *negat sufficientiam divisionis* Timpl. l. 4. Log. c. 6. q. 7. *quod non omnis Syll: necessarius cōprehendaur sub Apodictico: Nec omnis contingens sub Dialectico. Non ergò totam materiam exhaurire illos terminos. Hæc res ex explicatione Terminorum pendet. Apodicticum latè sumendum, ut omne necessariò inferens in materiâ comprehendat, Vnde demonstrationes analogicæ exsurgunt.* V. t. 20. *Quæ acceptio etsi ad mentem Aristotelis fortè non sit, commodè ta-*

men pro materiarum necesſitate ita ampliari poteſt. Vide eundem c. l. q. 8. & Dn. Schei. n. 18. 19. *Atq; ita materia neceſſaria in Logicis etiam comprehendat materias transcedentes, divinas, myſticas, in uſitatas. Quorſum benè hos reſpectus extendit* Cl. Gutk. l. 2. ſyn. Log. c. 1. *Nam inventio argumentorum adornetur pro varietate materiæ & propoſitionum. Nec quodvis cuivis aptetur. Nec ita res myſticæ & Theologicæ ſubijciuntur Logicæ imperio: Sed tantum Logicè tractātur. Vt benè idem* c. l. *Topicum etiam latè, ut omne probabiliter inferens complectatur. Vnde omnis materia contingens Topica vel dialectica dicitur. Non obſtat, quædam necesſaria hic inſpergi. Vt obijcit id.* q. 11. *Obiter enim, per accidens, aut alienè id ſit, vel alio modo Canones iſti accipiendi: Vel â fine potius iſta doctrina dicitur, qui eſt, probabilis probatio, quàm univerſâ materiâ. Vt benè* Crel. præ. l. 1. p. pro. *Alij inſufficientiam negare posſint, quod* Ariſtot. 1. Top. c. 1. *quartum adijciat, Syllo. pſeudographum, qui mentitur demonſtrationem. Sed hic benè ſub ſophiſtico comprehenditur.* V. d. 15. Conf. Dn. Sch. c. l. n. 11. 13.

7. *Hæc de Syll.* materiali in genere. *Sequitur* in ſpecie de Apodictico, *ſ. necesſario, primâ ſpecie Syll. materialis Logici. Ejus tractatio* vel *præcognitionis eſt,* vel *cognitionis. Præcognitionis triplex. An detur? An adæquatum poſteriorum Analyt. Ariſtot. objectum? An jure primus inter materialia tradatur?*

8. Quà primum: *Acerrimè demonſtrationem dari negarunt, ex Vetuſtioribus illi, qui ſcientiam dari negarunt, ut Socrates, Democritus, Anaxagoras, Pyrrhonici & Academici.* V. Cl. I. M. C. 10. d. 6. q. 1. *ex recentioribus* Ramus l. 2. Sch. Log. c. 3. l. 10. c. 1. 2. l. 9. in præfat. Dunamus in Log. p. 60. Patrit. T. 3. l. 4. diſc. Peri. *Anonymus quidam* ap. Cl. I. M. l. 1. diſc. c. 2. q. 5. *&*

alij

alÿ. Hoc de demonstratione propter quid intelligendum : Eam 1. negant concludi posse Syllogismo, nec ulla ejus exempla dari. 2. Sic materiam ipsi Logicæ quasi inferendam, quæ tota sit notionalis. 3. Ex prop. necessariæ doctrinâ totam patere. 4. Generalem artem, qualis Logica, generalia debere tractare, non specialia, qualia hæc. 5. O. Syllogismi medium esse causam Conclusionis, non solius demonstrationis. Contrà: *Dantur causæ efficientes proximæ alicujus passionis, passio & subjectū, ex quibus efficitur demonstratio. Sic in eclipsi Solis aut Lunæ, Tonitru, docilitate hominis ex animâ humanâ demonstranda, rugibilitate ex animâ Leonis.* V.Cl.I.M.C.4.d.7.q.1. 2.C.6.d.1.q.1. *Sic in Geometricis & Physicis multa demonstrantur.* V. Dn. Flac. l. 1. Apod. c. 1. *E. & ipsa demonstratio datur. Quicquid sit de exemplis Aristotelis, an ea omnia probent rigidam demonstrationem. Quod non credibile videtur* Goclen. p.4.q.72. *Ad rationes Ramæorū habe* 1. Demonstratio *dicitur propter quid, non ratione Conclusionis, quod ea sic fiat E. propter hoc est illud: (quanquam interdum fieri non est absurdum.* V. Cl. I. M. l. 1. dis. c. 2. q. 5. *Vt: Propter animam rationalem homo est homo. E. & propter eam est docilis.) Sed medÿ Termini, qui est causa, propter quam prædicatum insit subjecto. 2. Non materia, sed modus & respectus à materiâ necessariâ adeoq; processus notionalis circa quandam materiam ratiocinandi in Log: proponitur. Quod omninò Logicæ est. Nec definitio essentialis ad hoc sufficit. Illa enim explicat quod insit; At demonstratio per & propter quid insit, & sic causalem definitionem addit. 3. Propositio veritatis cognitionem non judicat sed enuntiat & repræsentat. Sed demonstratio judicat, probat, arguit. Non ergò in prop: necessariâ totum id latet. 4. Logica est generalis, quod speciales materias alicujus objecti, ut cæteræ disciplinæ, non proponat: specialis in omnibus argumentationum speciebus, etiam quibus-*

dam

dam ad materiam applicandis, recensendis. 5. Omne mediū Syllogisticum est causa Conclusionis, sed formali *tantum* consensu, *& principium cognoscendi: Ad demonstrativum etiam* materiali & speciali respectu *est causa, & principium essendi, quo Conclusio enuntietur. Hoc non est in omni Syll: formali.* Conf. Cl. I. M. c. l. q. 5. Dn. Cor. Mar. l. 1. p. pro. c. 1. Dn. Flac. l. 1. Apod. c. 1. Hipp. q. 42. Log. Goclen. c. l. Dn. Reg. l. 4. Log. d. dem. q: 1.

9. Quà secundum: *Averroes, Lincoviens. & Theophras. non solum demonstrationem, sed & definitionem per se & directè in post. Analyt. tractari volunt, Quod sit pars modi disserendi, & nusquam alibi in Arist. ex professo tractetur. Eos secuti sunt quidam juniores* ap. Tolet. præf. l. 1. post. q. 1. *Contrà Græcorum & Latinorum communis sententia est, adæquatum objectum horum librorum esse demonstrationem, & quæ ad eam ut media faciant, Qualia sunt definitio, Causæ, principia. &c. Eosq; sequuntur* Conimbr. præf. l. 1. post. Tolet. c. l. Sam. d. Lubli. præf. in l. 1. post. Morisan. in l. 1. post. Dn. Flac. l. 1. Apod. c. 2. Faber. in l. 2. pos. c. 1. q. 2. *Alij. Verè hoc. Nam demonstrationis modi, species, principia, causæ, consequentia, hic pertractantur. E. ipsa est objectum. Definitio traditur ut medium demonst. subserviens. Resolutio demonstrationis propriè non est objectum, quia non propter se, sed propter ipsam demonstrationis cognitionem docetur. Et sic ordinatur ad eam: & hæc ut objectum primarium & adæquatum se habet.* Conf. Sa. de Lub. c. l. *Nota hic demonstrationem dici objectum, non quà Syll. merè notionaliter est, sic enim principia & affectiones præcedentibus tradita: Sed quà materialiter rebus Logicè conclusis concreta est, quarum & demonstratio est, & in quib⁹ demonstrationis naturam & modos ostendere licitum est.*

10. Quà tertium; *Avicenna & Philoponus olim censue-*

fuerunt, Topicam demonstrationi anteponendam, quod & in cognitione primum à Dialecticis rationibus inchoëmus, & quod istæ communiores sint his. V. Crell. præf. par. pro. Tolet. c. 1. q. 6. At generalissima in artibus commodissimè præponuntur. V. t. 5. Adverte 1. aliud esse in materiali rerum cognitione, quæ imperfectionem nostram sequitur, nos ab imperfectioribus inchoare, de quo ratio Auic. concludit: aliud, in formali artium constitutione perfectâ methodo procedere. Hic quandoq; à perfectissimis & difficilimis inchoamus. Sic in sensuali cognitione incipimus ab hoc, isto homine, leone: Physica tamen à principiis difficilimis progreditur. Idem de hâc tractatione, quæ artificialis est, ejusq; ordine, tenendum. 2. à communioribus inchoandum ordine totius disciplinæ, non semper cujusq; partis, spectato, ubi interdum à præstantissimis ad viliora procedimus. Sic in Physicis de homine quandoq; agitur ante brutum, & si hoc communius quid, & in plura sparsum. Ita visus præponitur tactui, & si hic communior. Quanquam nec Auic. sensu dialectica sunt communiora Apodicticis, quod hæc etiam probabilitatem includant. Nam hæc non probabilia sunt, sed necessaria: & tanquam disparatæ Syll: materialis species sibi contra distinguuntur, Esse necessarium & probabile. Neq; ulla est ratio, cur primò hic à Sophistico Syll: inchoëtur. Vera enim priora falsis vel fucatis. Co. Crell. c. 1. Tolet. c. 1.

11. Fuit præcognitio. Cognitio est Nominalis vel realis. Nominalis 1. Homonymica. Demõstratio sumitur 1. latè pro omni ostensione. Sic Anatomicæ sectiones dicuntur demõstrationes, & pronomina hic, hæc, demonstrativa vocantur. Et Individuum aliquod demonstrativũ dicitur. Sic definitio aliquando demonstratio dicitur, id est, explicatio, evolutio. Itẽ omnis rei probatio demonstratio dicitur. Sic dicitur, sic istum suam sententiam demonstrare, id est, probare. 2. Strictè, vel Rhetoricè vel Logicè. Rhetoricè pro causarum genere

laudem vel vituperium tractante. Sic orationem generis demonstrativi dicimus. Logicè: 1. pro *integro tractatu demonstrativo, integras propositiones & Syllogismos continente. Sic præfiguntur interdum integris tractatib. tituli, invicta demonstratio. &c. 2. pro omni necessariâ probatione. s. ex causis, s. definitione procedat. 3. Strictissimè pro nobilissimâ probatione ex causis rei proximis procedente, quæ vulgò propter quid dicitur. His duobus modis magnam partem hic sumetur.* Conf. §. 1 n. Sche. c. l. n. 2. Reg. l. 4. Log. de Demon. q. 2. D. 2. Etymologica. Logicè *à nullo derivatur, est enim vox ultimatè abstracta:* Grammaticè *à demonstrando, id est, ostendendo, dicitur.* 3. Synonymica: *Dicitur etiam Apodixis, Syllo. apodicticus, demõstrativus, necessari⁹, necessariò concludens. &c. Periphrasticè dicitur τρόπ☉ παιδέιας ab Aristotele, Magister omnis solidæ eruditionis à Zabarella.* V. Reg. d. dem. q. 1.

12. *Fuit* cognitio Nominalis. Realis *est Definitiva, Divisiua, & affectiva.* Definitio *hæc sit.* Demonstratio est Syllogismus materialis necessarius, ex veris primis & necessariis principiis infallibilem Conclusionem materialiter deducens.

13 *Dicitur* 1. Syll. materialis Necessarius. *Hæ voces explicatæ sunt* t. 2. *2.* Infallibilem Conclusionem materialiter deducens. *Infallibilis dicitur, quod certò & necessariò sequatur Conclusio.* Materialiter: *Hic non solum ad consequentiam formalem respicitur, per quam omnis Syllog. conclusio necessariò infertur ex præmissis, etiam falsa ex falsis, per ipsam dispositionem Terminorum.* V. d. 10. t. 21. d. 11. t. 25. *Quæ & ipsa in hoc Syll. reperitur. Sed* & materialem, *qua ex ipsâ naturâ & cohæsione terminorum procedatur ad necessarium fluxum Conclusionis ostendendum ex ipsis terminis. Ita, posito, rationale esse docile, & subsumpto, hominem esse rationalem, etiam ex materiâ istorum Term. necessariò ut causa & effe-*

& effectus cohærentium, necessariò fluit illa pro positio. Hominē esse docilē. Hæc est ista necessitas materialis, qua nō prīcipia solùm cognoscēdi sunt præmissæ, sed & essendi ad Conclusionē. Vid. t. 8.

14. 3. Ex veris primis & necessariis principiis. Veris, *nam ex falsis nihil demonstratur. Et Syll. Topicus & Demonstrativus præsupponunt Syllog. verum, cujus quasi sunt speciales applicandi modi: Cæterum veritas illa sit & in præmissis, & in Conclusione: & sit Logica, id est conformitas notionum cū re.* V. Dn. Weg q. 5. in post. Anal, Primis. *Ista primitas comprehendit 1.* immediatam connexionem causativam & effectivam. Causativam, *ut effectus probetur per proximam & immediatam causam, ut in demon. διότι s. propter: Excipe probationes illas à causis remotis ad effectus, quæ interdum in demonst. ὅτι occurrunt. Quæ demonstratio est secundaria.* V. t. 20. Effectivam *ut causa probetur per immediatum effectum, ut in ὅτι s. quod. Vt si rationale hominis probes per docile, ut immediatū effectū. Sæpè etiam est* primitas subjectiva, *qua accidens cum suo immediato subjecto cohæreat, Vt si superficiem coloratam probes, quia alba sit. Albedo & color in superficie ut immediato subjecto hærent. Sic homo & risibilis sunt immediatè subjectiva. Non tamen semper hæc est. Vt si corpus coloratum dicas, quia album. Corpus non est immediatum subjectum coloris aut albedinis, sed superficies. Si Petrum dicas docilem, quia homo sit. Hic docile non immediatè est in Petro, sed in homine & rationali, ut immediatis subjectis, & per ea in Petro. Hinc docent quidam, principia debere esse immediata* vel actu & expressè, vel virtute *& potestate, ut in immediata possint resolvi. Et sic & mediata actu, sed virtute immediata, in demōstrat. permittunt.* V. Scharf. l. 4. Log. c. 2. Dn. Weg. q. 6. in post. Anal. n. 3. Dn. Schei. c. l. n. 77. *2. Ista primitas comprehendit* indemonstrationem, *quâ principia demonstrationis non de-*

beant demonstrari positivè, *id est, quod ipsa sint proxima rei principia, nam hoc præassumendum est, & ex ipso naturali rerum fluxu dependet, & ex intellectu terminorum cognoscitur, vel qualicunq; experientiâ: benè* privativè, *id est, quod propiora rei principia & causæ non dentur quam assignata. Conf.* Titelm. l. 4. Dial. c. 30.

15. *3. Primitas illa comprehendit* prioritatem & rei & cognitionis, *tum quà naturam, tum quà nos, quoad Cõclusionem. Vt principia demonstrantia tùm sint priora ipsâ conclusione, adeoq; habeant se ad instar causarum materialiter ad illam.* V. t. 13. *Tum prius cognoscantur & naturâ & nobis, quam conclusio. Nam ex non cognitis nulla eruetur demonstratio: Imò nec probatiuus Syllogismus. Vnde vulgò in demõstr. requirunt Necessitatem* & rei s. *objectivam,* & personæ, *s. subjectivam, id est, scientis.* V. Scharf. c. 1. *Hæc omnia de demonstr. primariâ habe. In cæteris quandoq; deficiunt.* Conf. D. Cor. Mart. l. 1. par. pro. c. 2. Dn. Arnis. in p. pro. l. 1. c. 1. in Crel. l. b. Titelm. c. 1.

16. 3. *Dicitur* Ex necessariis. *Necessaria principia sunt, quæ immutabilem connexionem habent. Vnde demonstrativa veritas non solum est veritas qualiscunq;, ut Topica, id est, quæ & interdum fallere possit, sed & immota & perpetua veritas, quæ nunquam aliter se habere possit. Nisi planè extraordinariè & præter naturam, ita ut vis naturali rerum ordini inferatur. Quomodo Adjuncta propria negativè removeri posse à propriis subjectis põtestate divinâ disputant Theologi.* V. Dn. D. Meisn. p. 1. P. S. s. 1. c. 1. q. 1. Dn. Sche. Top. c. 8. n. 101. Cl. I. M. l. 1. c. Kec. s. 1. c. 21. *& subsistentiam humanam separatam esse ab humanitate Christi tenet fides Catholica. Hic ubi à proprio subjecto ad prop. adjũctum, & ab humanâ naturâ ad propriam subsistentiam immotè aliàs progredimur, in extraordinariis paucisq; materiis vacil-*

latio

latio esse videtur. Sed ea demonstrativam veritatem non tollit, ut quæ in naturæ circo non impedito procedit, deq́ eo sua principia immotè & perpetuò concludit.

17. *Necessariæ connexionis* tres gradus *assignavit* Arist. 1. post. c. 4. t. 8. κατὰ παντὸς, *s. de omni.* καθ' αὑτὸ, *s. per se, &* καθόλου πρῶτον *s. reciprocum. Et demonstrativæ veritatis hæc esse requisita certum est. Nam omnibus omninò materiis, omnibus canonibus ea applicare velle, ut Ramei faciunt, impossibile est. Cum multæ sint regulæ in disciplinis, quæ negativæ & particulares sint, adeoq́ non de omni, quod & affirmationem & universalitatem requirit: & sic multò minus per se, aut reciprocæ: Nam ubi minimus gradus abest, multò minus superiores aderunt.* Conf. Cl. I. M. l. 2. dis. c. 3. q. 6. l. 1. misc. d. 11. t. 10. 11. seq. C. 5. d. 3. q. 1. Dn. Cor. Mar. c. l. c. 4. Hipp. q. 44. Log. De omni *est, quod est affirmativum, Vniversale, perpetuum & omni tēpore. Excluduntur hinc* 1. negativa, *quæ etsi sint vera, tamen non demonstrativè sunt vera, ut ex illis erui possit demonstratio. Vt, Nullus leo est Canis. Vulgò distinguunt de omni in prioristicū, ubi negātes, & posterioristicū, ubi tantū affirmātes.* V. d. Sch. d. pro. c. 4. n. 10. V. d. 8 t. 24. 2. Particularia, *& Vniversalia cū exceptione, ut Ramistæ vocāt, quæ sunt verè in sensu enūtiādi particularia, ut O. in A. sūt fœminina exceptis excipiendis, id est, quædā ni A. Et* 3. singularia singulariter sumpta: *Horsum pertinet, quæ de Vniuersalitate negativâ dici solent ab authoribus. Vt, Deus est infinitus. Socrates est risibilis. Quæ hic non sufficit. Nam ea competit singularibus singulariter sumptis. At in his demonstratio rigidè dicta semper non est.* V. Sch. c. l. n. 19. 2. *Secus ut virtute universalium sumuntur, ad de omni referri possunt. Sic de sole, Luna, eclipsin per proximam causam demonstrare solemus.* 4. Vniversalia quadantenus, id est, *quæ aliquo tempore sunt universalia,*

sed non semper. *Vt. O. homo dormit. O. homo canescit.*

18. Per se est, *cum prædicatum qualecunq; per se inest subjecto qualicunq;.* Qualecunq;, *s. id sit Prædicamentale, ut homo est animal: s. transcēdētale, ut homo est ens, finitus, s. perfectionale, ut Deus est infinitus : siue differat re à subjecto, ut vult* Zabarell. l. 1. d. pro. nec. c. 4. *ut homo est docilis, s. non re, Vt ens est unum, verum : s. sit effectum subjecti, ut ignis calefacit, sive non, ut Deus est justus. (Modo tale sit, quod verè prædicari possit. Secus non erit modus per se. Vt in præternaturali isto terminorum situ, risibile est homo. Homo non inest risibili, sed hoc illi.* V. Schei. c. l. n. 49. *Item in negativis aut infinitis, ubi propriè per se locum non habet, quod prædicatum affirm. requirit. Prærequirit enim de omni, quod affirmationem requirebat.* V. t. 17.) Subjecto qualicunq; *s. id sit subi inhæsionis, Vt rationale est docile, s. denominationis, ut Deus est infinitus : s. sit simplex , Vt homo est docilis: s. complexum ; Vt homo albus est homo: s. sit efficiens prædicati, ut ignis calefacit, sive non, ut ens est unum. Vulgò* duo modi *per se statuuntur : Essentialis constitutivus, cum prædicatū est de definitione subjecti, Vt homo est animal: & essentialis consecutivus, cum subjectum est de definitione prædicati. Vt, homo est docilis. Cæteri modi qui hic addi solent sunt æquivoci. Vt cum prædicatur* existentia de subjecto. *id est, homo est, leo est. At existentia prædicatur de rebus creatis contingenter, non necessariò. Et sic nec per se. Vel cum* act⁹ proprius prædicatur de subjecto, *Vt, canis latrat, Homo ridet. At actus illi interdum absunt à subjectis. Sic canes quidam non latrantes.* Scalig. ex. 203. s. 3. *Zoroaster natus risit, nunquam postea.* Id. ex 250. s. 3. *Anaxagoras Clazomenius nunquam risisse fertur.* Hildebr. l. 4. ma. nat. c. 4. *Christus ridere nunquam, flere semper visus est.* Alsted. l. 16. Encyc. p. 1. c. 13. q. 7. *Contingenter ergò actus pro-*

prij

prij prædicantur de subjectis, non necessariò. Et sic nec per se.
Conf. Dn. Schei. c. l. n. 38. 39.

19. Reciprocum s. καθόλου est, *cum prædicatum subjecto, inest reciprocè. Vt, homo est docilis, & docile est homo. Dicitur etiam Vniversale speciale, Vniu: primum, Catholicum; Et est summus necessitatis gradus, quo aliquid ita primò alij inest, ut & cum eo reciprocari possit. Et prærequirit omnes alios gradus ante se,* τὸ *de omni & per se.* Themistius & Alexander *negârunt reciprocationem in hoc gradu requiri.* V. Zabar. l: 2. d. pro. nec: c. 4. *Sed tamen Aristoteles eam requirit.* 1. post. c. 4. 2. post. c. 17. *Et per nullum aliud, quam istud, hic gradus à prioribus distinguitur, quod hic reciprocatio Terminorum vel absolutorum vel contra positorum addatur. Estq; adeò hic modus per se in differentiis ad subjecta, Vt, Homo est rationalis, & contrà: & propriis ad subjecta. Hic observa, aliud* καθόλου *esse, quod reciprocum est, aliud* καθ᾽ ὅλου, *quod de omni tantum est. Nec cum quibusdam confundendum.* V. Crell. dis. d. grad. nec. t. 18. 19. seq. *Dices: Tales propos. non sunt primæ primitate Causæ, quæ supra requirebatur.* t. 14. *Nam possunt propria per priorem causam demonstrari. Sic risibile per rationale. R. Nec ista primitas hic requiritur, sed subjectiva tantum, ut nullum sit prius subjectum, cui potius & magis primò competat prædicatũ. Et illa hic est.* V. d. Sch. c. l. n. 122. *De primo subjecto Catholicum est demonstrandũ, non ex primo, ut causa.*

20. *Hactenus* definitio *demonstrationis. Sequitur* divisio. *Demonstratio est* vel primaria vel secundaria. Primaria *est, quæ ex proximis causis probat effectum. Dicitur etiam* τοῦ διότι *& propter quid.* Secundaria, *quæ requisitis primariæ caret. Estq;* vel τοῦ ὅτι *s. quod sit,* vel analogica. Demonstratio quod est, *quæ vel à causis remotis ad effectum,*

vel

vel effectu ad causam progreditur. Vtriusq; exempla sat multa collegit Titelm. l. 4. Dial. c. 29. Analogica, *quæ ex qualibuscunq; principiis certò veris ad conclusionem progreditur. Hæc locum habet in mysticis, eminentibus, transcendentibus, & omninò extraprædicamentalibus materiis.*

21. *Quæruntur hic quædam pro explicatione.* 1. An sufficienter dividatur Demonstratio? Averroes *aliam addidit, quæ & propter quid & quod compræhendat, quam dixit potissimã.* V. Cl. I. M. C. 5. d: 1. q. 1. *Et datur etiã demonst: ab effectu ad effectũ necessariò connexum, ut si ab abundantiâ caloris in febri inæqualitatẽ pulsus ut neces. effectum deducas: dantur demonstrationes deducẽtes ad impossibile; Quæ hic non compræhẽduntur. Tum potest demonstr. analogica referri ad demonstr. ὅτι, nam & ista est, secundaria. Sed* 1. *Averr. demonstratio non est nova ab assignatis, sed est ipsa διότι, quæ semper involvit τὸ ὅτι, Vt propter quid est, semper involvit, quod sit.* 2. *Demõstra. ab effectu ad effect. non est vera demonstr. non enim est per se, Neuter enim duorum effectuum est de definitione alterius: Sed est tantum qualiscunq; necessaria argumentatio, ex qualicũq; tertij necessitate orta, à quo uterq; effectꝰ promanat. At utrumq; effectum ab unâ causâ proficisci, utriq; contingens est.* 3. *Demonstr. ad impossibile est demonst. à posteriori, cum per causam externam monstratur impossibilitas rei.* V. Dn Sche. d. Syll. c. 13. n. 61. 4. *Demonstr. analogica ad neutram priorum refertur, quia nec causæ, nec effecta hic locum habent, sed qualiacunq; principia cognitioni nostræ inservientia.*

22. 2. An demonstr. Quod, sit vera demonstratio? *Negavit* Avicenna, *ut refert* Zabar. l. d. sp. dem. c. 8. Et Conimb: in c. 10. 1. post. q. 1. 2. 3. *vocant analogicam secundum proportionem. At tale æquivocè nomẽ participat. Rectius contrà dicitur. Nam demonst. ὅτι procedit ex*

dit ex causâ remota. V. t. 20. *At rem cognoscere per causam est scire, & scire est immediatus effectus demonstrationis. Quod Arist. non multum de eâ tractat, est, quia ignobilior est alterâ specie. Et solemus explicatâ nobiliori analogi attributivi (quale quid in his dem: speciebus est, non analogum proportionis) specie, leviter tangere ignobiliorem. Et sic brevius de ea Arist.* 1. post. c. 10. *agit, vocatq́ à signo, quia effectus est signum causæ præsentis, & quia est ignobilior priori :* Conf. Cl. I. M. c. l. *Dices: Ergò different specie? R. differunt specie, sed analogicâ, conveniunt genere, demonstratione in communi, sed analogico. 2. Idem utriusq́ finis, scire. E. non different specie. R. Idem finis, sed generalis, scire vel à priori vel posteriori: specialis finis in modo sciendi est diversus. Prioristicè à parte formæ generalis, processus à causis ad effectus, conveniunt: posterioristicè à parte formæ specialis, processus materialis à talibus vel talibꝰ causis & principiis, differunt.* Conf. Sa. d. Lubl. in l. 1. post. c. 13. 14. a. 1. *dices v. Differunt solo terminorum positu. Vt si probes, Lunam globosam, quia accretiones ejus globosæ, Hic demonst. quod: Et, accretiones ejus esse globosas, quia ipsa globosa. Hic demonstr. propter quid: E. non sufficiens ad specierũ discrimen. R. Positus terminorum hic infert diversitatem mediÿ & processus demonstrativi: quæ satis ad specierum analogicarum discrimen sunt.* Conf. Dn. Sch. c. 1. n. 17.

23. 3. An demonst. analogica addenda? *Quidam negant, & certam vel necessariam probationem malunt appellare. Res facilè patet. Si demonst. dicatur* t. 12. *definita, demonst. hic locum non habet: si latè, qualiscunq́ necessaria probatio, sic hic demonst. dici potest, sed analogica. Et sic hæc in multis materiis Theologicis, mysticis, Metaphysicis, practicis, negativis, privativis, locum obtinet, ubi necessaria interdum unius cum altero connexio, non tamen statim causæ cum Effe-*

 ctu,

ctu, vel effectus cum causâ, quæ ad demonst. requiritur: sed qualecunq; principium cognoscendi, ad aliud velut principiatum deducendum. Con. D. Schei. c. I. n. 41. 42. Timpl. l. 4. Log. c. 6. q. 8. *Loca pro confirmandis ex parte talib. materiis aliquatenus deducit* Dn. Gutk. l. 2. Syn. Lo. c. 2. 3. *Sic cum ab authoritate divinâ ad immotè probandam rem proceditur, ab infinitate Dei ad æternitatem & independentiam, ab unâ actione virtuosâ ad aliam connexam, ab unâ privatione ad aliā connexā, ut loquendi carentiâ naturali ad surditatem naturalē. Aliâs rigida dem. rectè negatur omniū disciplinarum esse.* Con. Cl. I. M. l. 3. c. Kec. s. 2. c. 13. *Non solum enim hic necessitas cognitionis, connexionis principiorum, aut propositionum sufficit, sed & necessitas ipsarum rerum requiritur.* Con. eundem l. 2. Disc. c. 3. q: 6. l. 1. misc. d. 11 t. 13. 14. C. 6. d. 2. q. 1. Dn. Schei. c. 1. int. Log. n. 19. 22. Hipp. q. 42. Log. Cor. Mar. l. 1. d. dem. c. 5. *Et sic rectè inter verum & certum, & necessarium distinguere- tur.* Vt Cl. I. M. l. 3. s. 2. c. Kec. c. 8. p. 800. 781. *Sic sensus certò quædam ostendit, sed non scientificè, adeoq; necessariò. Imò dantur quædam necessariæ propositiones, quæ tamen Apodicticè non sunt necessariæ. Vt universales negantes & particulares affirmantes necessariæ.* V. Dn. Schei. n. 8. c. 4. d. prop. Conf. t. 17. *Huc pertinet, quod quidam agnoscunt Syllogism. necessarium non apodicticum,* Vt Timpl. *vocat.* l. 4. Log. c. 6. q. 8. *vel dicticum, ut* Keck. & Lorhardus *vocant: Vel Analyticum ut* Clau. Alberius; *vel necessarium innominatum, ut* Cl. Wegerus in l. Top. q. 5. n. 3. *Vel demonstrationem Analogicam, ut* Gocle. p. 4. probl. 73.

24. *Hactenus* divisio *demonst. Sequitur* affectio. *Ea multiplex est. Adeoq; distinctè sequentibus explicanda.* 1. Demonstra-

monstratio verè dicta rara est, nec in omnibus materiis quærenda. *Requirit enim subjectum necessarium, quod æternæ sit veritatis, non à nostrâ potestate pendeat: Causas & effecta propriè dicta, quæ in omnibus disciplinis non inveniuntur. Non* practicis *disciplinis, quarum subjecta sunt actiones practicæ à nobis pendentes: non* instrumentalibus, *quarum subjecta sunt noëmata secunda à nostrâ operatione arti analoga efficta: non* Methaphysicis, *Quarum subjecta causas & effecta non omnia admittunt, sed transcendunt:* Non Theologicis, *quarum objecta authoritate revelationis divinæ nituntur.* Ramei *omnium artium præcepta ad demonstrat. Leges exigunt, indeq́ κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ & καθόλου in omnibus regulis requirunt, primum legem veritatis, secundum legem justitiæ, tertiũ legē sapientiæ, vocantes. Sed has leges non in omnibꝰ disciplinis inveniri clarissimè ostendit* Cl. I. M. c. I. V. t. 23. Kek. nostr. l. 3. Log. c. 13. §. 6. *omnium disciplinarũ esse demõstrationes ait. Hoc nisi de dem. analogicâ simul intelligatur, difficulter admittitur. Non enim statim ubi definitio, ibi demonstratio: Sicut contrà, ubi demost. ibi definitio. Differt enim illa ab hâc saltem* θέσει *terminorum, ut Arist. loquitur: At non ita tantum definitio à demonstratione. Vt benè* Cl. I. M. c. Keck. l. 3. s. 2. c. 13. *Nec magnoperè hæc expugnat* Zanak. l. 2. c. Cl. I. M. s. 2. c. 13. q: 2. *Imò omnibus disciplinis demonstrationes tribuere, est, contingentibus, singularibus fortuitis, casualibus, particularibus, à loco, tempore, motu, materiâ, quandoq́ pēdentibus, necessitatem velle asserere, quod naturam rerum invertere est. Vt benè* Saltzhub: c. l. p. 24. Corn. Mart. c. l. *& omnes agros unâ decempedâ emetiri velle, ut loquitur* Dn. Arnisæ. p. pro. l. 1. c. 2. l. a. in Crell. *Quorundam contingentium & singularium certis causis constantium datur demonstratio: omnium nequaquã.* V. Mendo. s. 6. c. l. *In practicis analogicæ demonstratio-*

 nes

nes dantur, non rigidæ. Dn. Flac. l. 1. Apod. c. 6. Conf. Timpl. c. 2. technol. q. 5.

25. *2.* Demonstratio procedat è præcognitis & præmissis, & terminis. *Præcognitio est quasi prima cognitio, ex quâ alia sequitur. Vt notat* Mendo. d. 11. Log. f. 1. §. 2. *Aristot. omnem doctrinam ex præcognitis procedere ait.* l. 1. post. c. 1. §. 1. *Intelligit autem doctrinam discursivam, ut communiter Interpretes explicant. Hæc præsupponit interdum cognitionem principiorũ, & præmissarum ex quibus Conclusio deducatur. Neq; enim* originali f. primâ *cognitione possumus cognoscere veritatem conclusionis, non cognitis præmissis, à quibus essentialiter illa dependet: utcunq;* repetitâ f. secundâ *possimus, ubi saltem radicaliter & remotè præmissæ cognoscuntur: Interdum cognitionem solorum terminorum, si principia sint omnium prima, quæ ex prioribus probari nequeant, sed intellectis saltem Terminis statim assumantur. Vt, Nihil simul est & non est, Totum est majus suâ parte: Huc & subjecti & prædicati præcognitio pertinet. An sint? Quid significent? &c. Conf.* Mend. c. l. Sa. d. Lub. in 1. post. c. 1. a. 2. 3. 4. *Adeoq; hic cognitio requiritur vel judicativa, vel apprehensiva Terminorũ. Vt loquitur* Dn. Weg. q. 1. in l. 1. post. §. 5. *Generaliter 5. præcognitiones dici solent, quid nomen sit, an sit, quale sit, per quid sit.* Vltimũ *poti⁹ est quæstio demonstratione conclusa, quã præcognitio. Non enim aliud ultimum est, ad quod ipsa referatur, sed ipsa est ultimum in demonstratione. Nec conclusio accuratè præcognitio dicetur, nisi ratione partium, subjecti & prædicati, de quibus quid nominis præcognosci potest. Vt benè* Id. q. 3. *Præmissæ præterea sint certæ & evidentes, ut necessitent intellectum ad Concusionem.* V. Mendo. c. l. f. 3.

26. *3.* Demonstratio procedat ex medio scientifico, causâ vel effecto. *Varia in Log. de medio demonst. disceptan-*

ceptantur. Zabarella *integro scripto eam materiam deduxit. Mihi breviter duo dicenda videntur.* 1. Medium demonstr: materialiter potest esse varium: *nempè definitio subjecti, aut aliquid ad eam pertinens: ita risibile demonstratur per rationale, quod erat de definitione subjecti, hominis, quod malè negavit Ægidius: Definitio affectionis, sic in Eclipsi sumitur definitio ejus, & per illam demonstratur de lunâ.* V. Sam. d. Lub. l. 2. post. c. 5. a. 3. 2. Medium demonst: formaliter semper est causa vel effectus. Causa, *nempe passionis demonstrandæ, in demonstratione διότι. Nam quicquid in hâc ut medium assumitur, tanquam causa assumitur. Et causæ* materialiter *omnes in demonstratione esse possunt: Nam ex omnib. ad qu. propter quid responderi potest:* formaliter *sola efficiens, vel proxima, vel remota, vel interna, vel externa. Vt benè* Dn. Gutk. p. 492. Syn. Log. *Vnde si materia, forma, finis ingrediantur demonstrat. Sub formalite efficientis ingrediuntur. Sic cum anima demonstrat docile de homine, tanquam efficiens per emanationem sumitur. Sic cum materia ad quantitatem demonstrandam assumitur, tanquam efficiens per emanationem assumitur. Sic cum res demonstrantur per suas formas, formæ sumuntur ut efficientes suorum formatorum, in nostro conceptu: Etsi in re sint formæ. Et hic vacillat illud tritum:* Per quod res habet esse, per id etiam habet cognosci: *si ad causas speciales descendas: Secus si principia in genere intelligas, verum est. Conf.* Casum d. demonst. q. 4. *Idem est de fine. Vt si deambulatio post Cœnam probetur, quia sanitatem conservet. Hoc instar efficientis sumitur.* Conf. Dn. Sche. c. l. n. 47. 48. Dn. Cor. Mat. l. 1. d. dem. c. 7. Effectum *est medium in demonst: ὅτι: Nam in illâ est probatio causæ per effectum proximum: Vt & effectus per causam efficientem remotam.* V. t. 20. *Qualecunque principium firmè probans est medium in demonstra: Analo-*

nalogicâ : non præcisè causa vel effectus. V. c. l. Conf. Scharf. l. 4. Log. c. 5.

27. 4. Demonstrationis finis & effectus est scientia, f. *immobilis rei per firmissima prīcipia cognitio. Sciētia latè sumitur. 1. pro qualibet cognitione sensuali vel intellectuali, firmâ vel probabili. 2. pro cognitione firmâ generali, s. per discursum habeatur, s. non. Sic includit definitionem & principiorum notitiam. 3. pro cognitione firma specialissimâ, discursivâ. Sic hîc sumitur. Et sic hæc cognitio* vel *est per immediatas causas, ut in demonst: propter: hoc modo* Aristot. *scire est rem per causam cognoscere ait.* 1. post. c. 2. vel *per effectus & remotas causas, ut in demonst. quod* : vel *per qualiacunq; firma & necessaria principia, ut in demonst: Analogicâ. Hæc cognitio firma semper est effectus demonstrationis. s. Syllogismi Apodictici. Si* Enthymema *quandoq; faciat scire, facit, quà virtute in demonstrationem mutari potest. Si* objectum *aliquod intellectus faciat scire, remotè, fundamentaliter, & objectivè id tantum facit : si* intellectus *speculationibus addictus, effectivè & naturaliter id facit : si* scientia *quædam contemtemplativa, habitualiter & effectivè principaliter id facit :* Sola demonstratio proximè, formaliter, & effectivè instrumentaliter facit scire : *& per eam, tanquam instrumenta, quæ continet & proponit scientia aliqua, ipsa proximè scientiam habitualē animo ingerit.* Conf. Cl. Weg. c. l. q. 2.

28. *Porro demonstratio facit scire, quà est* discursus mentalis *primò : secundò quà* vocalis & scriptus *propter mentalem : quà est discursus signatus, id est, operatio intellectus recta, ceu idea à Logicâ explicata, per modum medij & instrumenti causat scientiam effectivè : quà discursus exercitus, id est, operatio intellectus materijs applicata, ad ideam signatam conformata, in notitijs appræhensivis terminorum est causa scientiæ remota : Nam judicium præsupponit appræhensionē*

termi-

terminorum in demonst: In notitijs judicativis, connexionis terminorum, ratione præmissarum, considerata, est causa efficiens proxima scientiæ: Nam ita præmissæ sunt causæ eff. proximæ, determinantes intellectum ad eliciendam Conclusionem demonstrativam, quæ est scientia: In notitijs judicativis ratione Conclusionis causat scientiam formaliter, id est, est ipsa informatio scientiæ in Conclusione productæ. Nam Conclusio est ipsa scientia formaliter. V. eundem c. l. q. 4. Hoc modo Aristot. 1. post. c. 2. ait, demonstratione, eò quod ipsam habeamus, nos scire. Intellige formaliter. Cætera quæ de scientiâ, opinione, errore, fide, multis hic disputari solent, ad doctrinam de animâ vel habitibus magis pertinent, quam Logicam. Vt benè insinuat Mendoz. d. 11. Log. s: 11. De ijs plurib. agunt Dn. Weg. c l. q. 8. 12. 13. Conimbr. in 1. post. c. 10. Morisa. d. 12. Log. q. 1. Mendo. D. 10. d. an. s. 5. 6. Dn. Schei. c. l. n. 88. 89. Cl. I. M. C. 5. d. 2. q. 8. C. 8. d. 6. q. 5. d. 7. q. 3. Casus d. dem. q. 8. q: Sa. d. Lubl. in l. 1. post. c. 13. a. 2. 3. & c. 20. 9. a. 3. 23. a. 2. 3. post: c: 10. q: 2. c: 23. q: 1. c: 26. q: 1. Alijq.

29. 5. Demonstratio procedat ex principiis propriis & domesticis. id est, illis, quæ in ista disciplinâ, ubi pro demonst. affertur, assumuntur, non alienis, quæ in illa disciplinâ non assumuntur. Nam demonst: debet quasi proprium probare de subjecto. E. oportet per principia convenientia subjecto id fiat, non à subjecto recedentia. Ita ergò Physica ex Physicis, Mathematica ex Mathematicis, aut talibus, quæ in Mathematicis vim principiorum habeant, probentur. Nam ex heterogeneis prava fiet Demonstratio. Ita malè impugnantur mysteria fidei ex principiis naturalibus, ut Vnio personalis ex isto, finitum non est capax infiniti: infinitum & finitum unam personam constituere non possunt: Trinitas ex eo, quod tres personæ tres

na tres introducant essentias, Præsentia *Corporis Christi in s. cœnâ ex illo, Vnum Corpus naturale nequit simul in duobus locis esse: Nam hæc principia in Theologiâ sunt aliena, & non assumuntur pro principiis, Vbi summū principium hoc est: Quod Deus dicit, id est verum. E. ex principiis non assumptis alienè aliquid oppugnatur.*

30. *Nec* quæstiones, *vel* Enuntiationes mistæ *huic principiorum saltui de genere in genus, ut vocat* Arist. 1. post: c. 7. *medelam facient, quas adducunt hic.* Keck: noster l: 3. Log: s: 2. c: 9. & l: 1. præ: Phil: c: 4. Alsted: l: 7. Log. ha. c. 17. Timpl. l. 3. Log. c. 3. q. 7. *Nam illæ in explicationibus terminorum saltem locum habent, qui interdum misti aliquid involvunt, quorsum id à Kec. adductum pertinet, Corpus mediatoris est in loco: non decisionibus quæstionum, quæ ex principiis propriis disciplinarum sunt formādæ.* Co. Gutk. p. 730. Sy. Lo. *Nam cum legitimè formātur quæstiones, semper per formale suum ad unum considerandi modum, & sic ad unam disciplinam revocantur, & sic frustra ex principiis heterogenarum disciplinarum oppugnantur. Et istâ Term: ad unam disciplinam revocatione termini quasi in alium statum & considerationem traducuntur, Vt benè monet* Cl. I. M. c. Keck. p. 787. *Et sic argumenta à statu naturali petita parum illis incommodabunt. Sic justificationi nil obstabit, alterationes Physicas fieri per inhærentes qualitates. Sic cum in Politicis corpus Imperatoris consideratur, non ut in loco, ut quātum, mobile, consideratur, sed ut ultra illum statū in fastigium regium est deductum.* Vt benè Id. c. l. Dn. D. Meisn. qu. gen. P. 8. §. 3. *Et taliter determinati termini nec primò, nec secundò ad Physicam pertinent, quod regerit Zanak.* l. 3. c. Cl. I. M. l. 2. c. 3. q: 1. *sed planè ibi ignorantur, & per alium considerandi modum, ad aliam disciplinam pertinent.*